



IN DESCRIPTIONEM INDIAE OCCIDENTALIS
CLARISSIMI VIRI IOHANNIS DE LAET,
REBUS EIVSDEM INDIAE PRAEFECTI.

EXtremum primumque diem, qua surgit ab undis
Quaque fatigatis in mare fertur equis,
Emenso Bataui post tergum liquimus orbe,
Et quas Sol metas, nauita noster habet.
Subsequitur, quacunque viam fecere carinae,
Et quantum nautae, mens sibi sumit iter.
Latius extremi positum sibi vindicat Indi,
Et curam terrae deficientis agit.
Par patriae cuius, par libertatis amore,
Hic quoque, quo patriam demereatur, habet.
Nec tantum distincta locis miracula reddit,
Quaecunque in Batauos panda carina tulit:
Cedentis reuocat finemque intercipit orbis,
Vltiusque ipso nobile surgit opus.
Interior tanto jam stat Natura labore,
Et famae accessu continuatur humus:
Excipit exhaustum par mundo gloria mundum,
Quantus in immensa posteritate patet.
Qui varios terrarum habitus, tractusque, situsque,
Et descripta suo nomine regna legis,
Cum frutices, herbasque nouas, ignotaque nobis
Nec quondam terris cognita monstra, legis;
Plus monstris quacunque legis, mirare docentem,
Per quem, ut nata domi, tam peregrina legis.

DANIEL HEINSIUS.